

Johann Placcius Arnold Mönnich

Disputatio Philosophica. De Definitione

Rostochi[i]: Reusnerus, 1636

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729460193>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1636
Johann Placcius
Arnold Mornich

D. O. M. A.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA.
DE
DEFINITIONE.

Quam
Permissu Amplissimi Colle-
gij Philosophici in Inclyta Rostochiensis
Academia.

P R Æ S I D E

JOHANNE PLACCIO Thur. Med. Licent.

Habebit publice

ARNOLDUS MONNICH, Lip-
piensis Westphalus.

In Auditorio Majori horis antemeridianis
24. Augusti.



ROSTOCHI,
Typis JOHANNIS REUSNERI,
ANNO M. DC. XXXVI.

Handwritten notes in the right margin:
Dno. J. J. J.
P. 133
L. 133
F. 133
J. 133



THESIS I.



Uicquid à nobis cognoscitur, illud vel perfectè, vel imperfectè cognoscitur. Est verò imperfecta rei cognitio, qua solum per accidès vel in aliquo tantum conceptu communi confusoq; apprehenditur res, & eadem est cum cognitione Quidditatis, vel saltem eam sub se comprehendit. Perfecta verò rei cognitio non malè dividitur in comprehensivam & Quidditativam. Illa *Mendez Disp: de anima 3. s. 3. 5. 18. & 22.* est cognitio omnium formalitatum, quæ sunt in objecto, ut ita nihil objecti lateat cognoscenè, sive, est clara & distincta cognitio objecti, secundum omnia quæ habet formalitèr & eminenter. Cognitio verò quidditativa est, quæ clarè & distinctè cognoscitur conceptus essentialis & proprius alicujus rei, quæ sub se comprehendit DEFINITIONEM, quam haud malè *Suarez* vocat cognitionem definitivam, cujus naturam nunc enucleatius proponere constitui.

2. Dicitur verò *Quintiliano l. 7. c. 4.* definitio à definiendo, accepta ab agrorum finibus denominatione. Sicut n. agrorum fines agros definiunt & claudunt, aliosq; ab aliis discernunt; ita definitiones, quibus rerum naturæ declarantur, essentias earum circumscribunt, aliasq; ab aliis distinguunt & fines, limitesq; præfigunt objectis, non quod objectum, ut vulgo statuitur, necessario debeat esse finitum, sed quia actus intellectus, qui fertur in objectum distinctè illud cognoscit, non vagando ultra limites ipsius sicut actus confusi quibus cognoscuntur prædicata rebus cum aliis communia, à quâ communitate refrenantur attingendo rei essentiam secundum proprium & adæquatum conceptum.

3. Et hoc est quod *Durandus 1. dist. 35. q. 1. n. 10. & Thomas 1. p. 9. 14. a. 3. ad 1.* referente *Job. Maria Zamor. tr. 2. Disp. Theol. q. 10. a.*

A 2

1. n. 4. af

1. 4. afferunt, verbum FINITUR intelligendum esse non sane quidem positivè ita nimirum, ut intellectus suo actu objectum perinde adeo complectatur, ut terminum ei figat; præsertim si sit objectum infinitum. Sed negativè, negando utiq; excessum, eo ipso quod intellectus ab intellectu minimè exceditur, sed illud intelligit prout à reliquis omnibus rebus cum quibus essentialiter conveniebat, essentialiter discriminatur & distinguitur Conf. *Mendoz. Disp. Log. 10 s. 2. S. 4.*

4. Sumitur verò nomen Definitionis etiã apud Aristotelem dupliciter. 1. pro ut contradistinguitur definito & denotat orationem quæ de definito convertibiliter prædicatur. Sicut e. g. animal rationale de homine *1. περιεργμ. c. 5.* ipsam hominis rationem definitionemve nisi vel erat vel erit vel tale aliquid addatur enunciationem esse negat, & 2. *poster. c. 3.* in definitione nihil de aliquo prædicari asserit 11. pro toto illo complexo ex definitione & definito constante. *1. poster. c. 7. & 2. poster. c. 10.* ubi dicitur definitionem aut esse principium demonstrationis, aut conclusionem, aut totam rationem sola verborum positione à demonstratione differentem, & 2. *poster. c. 3.* omnem aut definitionem esse universalem & affirmativam; prior verò acceptio est magis huic materiæ domestica & propria.

5. Non etiam sumitur definitio hoc loco pro definitione objectivâ, quæ nihil aliud est, quam objectum, quod definitur & explicatur, diciturq; talis per denominationem extrinsecam ab actu intellectus, sicut conceptus objectivus rei, qui nihil aliud est quam ipsum objectum quod cognoscitur & actui intellectus objicitur; Sed pro definitione formali, quæ nihil aliud est, quam actus intellectus, sive cognitio rei distincta. Et

6. Definitur, λόγος ὁ τὸ ἐν ἑνὶ αἰεὶ σημαίνων. *1. Topic. 4. 2. poster. 3. & 10. 6. Met. 1. 13. & 19.*

7. Ubi generis loco ponitur λόγος, quod vocabulum num orationem vel rationem significet, controversatur. Orationem illud significare, perspicui posse videtur cum ex aliis locis Arist. tum liquidissimè ex principio 6. *Topic.* ubi Aristoteles definientem jubet ὡς ἐν δευτέρῳ σαφελῶς ἢ ἐμμένει κατὰ γένος κτλ.

8. Verum Oratio cum triplex sit, Mentalis, Vocalis & scripta,

per, illam potissimum hic locum invenire puto, eum definitio sit
quædam cognitio *Top. l. 6. c. 2.* quæ formaliter est actus intelle-
ctus & cuius etiam orationes reliquæ tantum quædam signa sunt
& simulacra.

9. Differentia est τὸ πρὸς τὴν οὐσίαν, essentiam rei expli-
cans, oportet n. inquit *Aristotel.* 6. *Topic. c. 1. 2 post. c. 3.* eum qui definit,
quoad ejus fieri potest, clarissima interpretatione uti, quia cognoscendæ
causa definitio traditur. Non potest autem essentia rei cognosci
& explicari, nisi per aliquid quod sit notius & prius, unde *l. c. c.*
4. inquit: Definitionem debere confici ex ijs, quæ sunt priora &
notiora definito, ut sunt genus & differentia.

10. Cum a. prius & notius aliquid sit & dicatur duplici-
ter *Aristotel.* *post. c. 2. τὸ πρὸς τὴν οὐσίαν.* Definitio pro-
pria debet consistere ex ijs quæ sunt notiora simpliciter. Quod si
quis ex notioribus & prioribus cognitionem non possit acquire-
re, necesse est definitionem ex ijs conficere quæ illi sunt nota, ut
si quis definiat per accidens aliquod proprium aut effectum quæ
tamen definitio non tam definitio erit quam descriptio.

11. Malè igitur faciunt, qui relatum definiunt per correla-
tum, quorum tamen unum altero neq; notius est, neq; prius.
Excipit quidem *Fonsæc.* *l. 5. inst. Log. c. 9.* relatum non defini per
correlatum, sed per respectum ad correlatum, quod verò corre-
latum ponatur in definitione relati fieri propterea quod respectus
relati non possit intelligi sine suo termino nempe correlato; ad-
eoque sentit cum *Cajetano*, *Connimbr.* & alijs c. de specie Re-
latum non defini per sed AD correlatum; sed infirmo talo
consistere hoc argumentum liquet I. quia: Quicquid ponitur in
definitione, debet esse notius definito, ponitur n. explicandæ &
cognoscendæ rei gratia. Atqui id, ad quod aliquid definitur poni-
tur in definitione E. etiam id ad quod aliquid definitur, quale se-
cundū *Fonsæc.* & alios est Correlatum debet esse notius definito
nempe relato, quod æq; falsum est atq; prius. II. Quicquid non
est notius, per id non debet aliquid defini. Sed respectus re-
lati ad Correlatum, non est notior relato E. per respectum ad
correlatum relatum non debet defini. Major est certa etiam
Fonsæc. *Min. prob.* Quicquid non potest concipi & intelligi sine

eo quod non est notius definito, id quoq; non est notius definito, uti ex terminis patet. Sed ex mente Font: respectus relati ad correlatum concipi & intelligi nequit sine eo, quod non est notius definito nempe correlato E. respectus relati ad correlatum nequit concipi & intelligi sine correlato, at correlatum non est notius relato *juxta Aristotelem in Categoriâ c. 3.*

12. Excipiunt h. l. Connimbricenses; hanc propositionem: Quæ ponuntur in definitione debere esse notiora definito, tantum esse accipiendam de ijs quæ ponuntur in definitione tanquam aliquid intrinsecum definito; Correlatum vero poni in definitione, relati non tanquam aliquid intrinsecum sed extrinsecum, atq; hinc ejus definitionem esse per additamentum. Verum facilis est responsio, quando enim correlatum ponitur in definitione relati tanquam aliquid extrinsecum, dubio procul non alio sine ponitur, nisi quod intrinsecum id quod per se definitionem ingreditur, non possit intelligi, aut concipi sine extrinsecum. Si igitur ea, quæ tanquam intrinseca in definitione ponuntur debent esse notiora, utiq; ea etiam quæ tanquam extrinseca definitionem ingrediuntur, notiora esse debent; cum extrinsecum non ponatur in definitione, nisi ratione alicujus intrinseci cujus cognitio dependet à cognitione extrinseci: Sed cujuscunq; cognitio ab alio dependet, id non potest esse notius quid, nisi illud ipsum sit quoq; notius.

13. Hinc liquet quid sentiendum sit de sententia doctissimi *Arnisei qui l. 1. de Rep.* inter alia etiam hanc ob causam reprehendit definitionem servitutis, quod sc. servitus sit constitutio jure gentium, quâ quis dominio alieno p. n. subijcitur, eo quod servitus & dominium sint relata. Et nugæ sunt, inquit *Arniseus*, si quis definiat subjectum quod habeat adjunctum, aut contra: & Patrem qui habet filium.

14. Quid? quod si relatum definitur per correlatum, idem ingrediatur definitionem sui ipsius. Si enim definias e. g. Patrem per filium, h. m. Pater est qui habet filium, & filium vicissim qui habet Patrem. Cum loco definiti liceat ejus ponere definitionem *juxta Aristotelem 7. met. c. 5.* in definitione Patris, loco filij concessum erit ponere definitionem filij, emergetq; talis Patris definitio:

definitio: Pater est, qui habet eum, qui habet Petrem, ubi expressa idem definitur, percipsum quod est ridiculum. Conclusio igitur cum *Scoto l. d. 30. q. 1. Petro Tartaret. in cap. de specie. Suarez Disp. met. 47 § 16. Gabr. Vatzquez p. 1. dist. 59. c. 6. Petr. Hurt. de Mendoza Disp. met. 15. §. 17.* Relatum non esse definiendum per vel ad correlatum, sed potius per aliquid absolutum, quod prius est respectivo, nam: Ad quodcumq; relatum dicit essentialem respectum, per id merito etiam est definiendum, cum essentia relati consistat in hoc ut referatur ad alterum. At omne relatum dicit essentialem respectum ad absolutum potius quam ad correlatum quatenus tale. E. omne relatum merito definitur per aliquid absolutum. Min. pr. quia id ad quod relatum quatenus tale essentialem dicit respectum, non est nisi terminus ejus, terminus v. relationis sive relati, est aliquid absolutum, non verò correlatum formaliter secundum *Scotum & Suarez l. c.* cum quibus consentire videtur *Paul. Son. in 5. met. q. 30. ad secundum.* E. Talis igitur potius erat adsignanda definitio Patris: Pater est persona, quæ genuit aliam ejusdem cum eâ essentia existens. Argumenta in contrarium prolata vide apud *Sanchiez quest. Log. 40.*

15. Cum igitur omnis definitio explicet essentiam rei per genus & Differentiam tanquam per priora & notiora: Sicut Philosophus *inquit 6. top. c. 4.* eum qui recte definit ex genere & differentia definire, & *7. met. c. 12.* nihil est aliud in definitione, quam genus, quod primum dicitur & differentia. Nomine generis non necessariò intelligitur genus in sensu Prophyriano acceptum pro eo quod æqualiter plane prædicatur in quid de suis inferioribus; sed sufficit conceptus quidditivè communis sive superior in quo aliquid proximè cum alijs essentialiter convenit, de quibus etiam in quid est prædicatur.

16. Dico; proximè; Nam generi remoto si solum differentiam constitutivam addas, meritò definitio imperfectionis arguitur, licet essentiam rei per genus & differentiam, quæ conjunctim sumpta cū re reciprocantur, videatur explicare, Hoc ipso tamen non improbamus sententiam *Fonseca,* qui definitiones quoq; genere remoto constantes admittit; si addantur differentia intermediæ, cum æquè perfectè naturam & essentiam rei tunc explicent, e. g. *Homo est corpus animatum sensitivum, rationale.* 17. No-

17. *Nomine etiam differentie non necessario intelligitur specifica & specialissima, sed talis per quam res, quæ definitur, à reliquis omnibus rebus essentialiter distinguitur; uti egregie differit Mendoza Disp. met. 20. §. 19. opus est, inquit, ut rem concipiamus quidditative in aliqua differentia quasi completa, quæ sit radix & origo attributorum; non n. sufficit quilibet conceptus proprius ad constituendam naturam; sed ille qui non attribuitur aliis, neq; ab iis oritur nostra ratione; sed à quo cæteri, ut patet in homine, cujus risibilitas non est quidditativus illius conceptus, quia oritur ex rationalitate; Tum in Deo, cujus relationes & iustitia non sunt quidditativus illius conceptus. Recurrendum igitur ad primam unam radicem cæterarum. Nam conceptus secundarii sunt attributa, quia attribuuntur primario; attributa, est eos adscribi primario illum reddendo pro primâ radice cæterorum. Hæc ille. Et hoc innuit Aristoteles 7. met. t. 13. quando ait, definitionem debere esse alicujus primi i. e. ut Fonseca interpretatur, debet dari per prædicata in primo modo per se, quod intelligendum est de definitionibus substantiarum perfectarum, ut ex textu patet.*

18. *Plerumq; definitio constat ex genere & differentia strictè & in rigore acceptis, quando id, quod definitur est species propriè sic dicta, cum n. species naturam & essentiam suam constitutam habeat ex genere & differentiam, meritò etiam per genus, & differentiam d. finitur. Quando vero definitum non est species propriè sic dicta alicujus generis, sed continetur sub conceptu aliquo communi $\pi\epsilon\delta\acute{\omicron}\varsigma \epsilon\iota\varsigma \nu\epsilon\acute{\iota}\nu \alpha\phi' \epsilon\iota\delta\acute{\omicron}\varsigma$, ut loquitur Aristoteles, tunc etiam per illud commune veluti per genus definitur; quomodo n. quæso id definiatur per genus propriè sic dictum, quod sub tali non continetur? Exemplū hujus rei habemus apud Philosophum post. 6. 2. quando demonstrationem definit per syllogismum, cum tamen syllogismus non sit genus strictè acceptū, sed conceptus communis $\pi\epsilon\delta\acute{\omicron}\varsigma \epsilon\iota\varsigma \nu\epsilon\acute{\iota}\nu \alpha\phi' \epsilon\iota\delta\acute{\omicron}\varsigma$ Zab. l. 1. de speciebus demonstr. c. 6.*

19. *Non igitur omnis definitio absolvitur genere & differentia sed iis etiam, quæ subeunt vicem generis & differentie, ut patebit inferius de definitionibus accidentium, substantiarum incompletarum.*

20. Est v. definitio vel Nominis vel Rei *Arist.* 2. *post.* c. 10.

21. Definitio Nominis est, quæ vocis alicujus significatio-
nem exponit, est enim significatio essentia nominis.

22. Quæ definitio juxta *Murciam Disp.* 6. *de termin.* ratione,
est vera species definitionis & quidditativa, cum verè & exactè
explicet naturam & essentiam nominis, quam in significando mo-
do consistere dixi, secus ac sentit *Bannes. instit. minor. Dialect.* l. 3.
tr. 1. c. 3. inquit, quamvis hic modus explicandi sit satis con-
veniens & non raro necessarius ad definitionem rei ingrediendam
juxta *Philos.* 1. *Topic.* nihilominus est tamen interpretatio potius
nominis 2. *post.* c. 10. quam definitio.

23. Inquis / Si definitio Nominis est Quidditativa, omnis
definitio erit Rei, neq; membra hujus divisionis erunt opposita.
Nomen enim est Res. & Neg. Conseq. Licet Nomen sit res transcen-
dentaliter, quatenus res sumitur ut est synonymum Entis, cum
Nomen revera sit aliquid reale; non tamen est res specificè i. e.
quatenus res Nomini contradistinguitur, & est illud quod per
nomen significatur.

24. Ad definitionem Nominis nonnulli referunt Etymolo-
giam & notationem nominis; sed male: Quicquid n. non expli-
cat significationem Nominis, non est definitio nominis. Ety-
mologia non explicat significationem nominis; sed potius unde
nomen deducatur & imponatur. E. Licet igitur interdum fiat ut
aliqua Etymologia explicet nominis significationem; non tamen
hoc facit quatenus est Etymologia; Alias n. omnis Etymologia
hoc faceret; sed quatenus induit rationem definitionis Quid
Nominis. Aliud igitur juxta *Thomam* est id, quod per aliquam
vocem significatur, aliud id, unde vox deducitur sive imponitur,
vox non semper significat id unde est deducta sive imposta, si-
cut lapidem dictum voluit à læsione pedis, quasi lædens pedē,
nec tamen lapis læsionem pedis significat: alias n. omne lædens
pedem esset lapis.

25. Definitio Rei est oratio essentiam rei per nomen signi-
ficatæ explicans, ut, homo est animal rationale.

26. Estq; vel Essentialis & propriè sic dicta, vel Descriptio.

27. Definitio Essentialis est quæ datur per prædicata in primo
modo per se; sive quæ sunt de primo conceptu rei, quatenus est ta-
lis res.

B

28. Ubi

28. Ubi cavendum est, ne statim impingamus cum multis, qui putant id esse de primo rei conceptu & essentia, quod secundum rem idem cum ea est, in quorum numero etiam *Suarez* reperitur *disp. met. 30. s. 6.* & sciendum ex eodem, aliquid esse de essentia rei posse dupliciter intelligi 1. in sensu identico sive materiali, quomodo omne id dicitur esse de essentia rei, quod est secundum rem idem cum ea. 2. Logicè & in sensu formali, prout essentia dicitur id, quod primo in re concipitur quatenus est talis res & illud solum dicitur esse de essentia rei, quod est de primo rei conceptu, quatenus est talis res, sive quod in primo ejus conceptu continetur; sicut e. g. animal rationale est primus hominis conceptus & essentia, illud n. quod primo in homine quatenus tali concipitur est hoc, quod sit animal rationale; unde animal & rationale sunt de primo ejus conceptu. Licet alij quoque conceptus homini insunt, non tamen ipsi conveniunt, quatenus est homo. Atqui non omne id, quod secundum rem est idem cum essentia rei, est de primo ejus conceptu. Nam quocumque datur in re secundum rationem nostram conceptus prior, qui sit ejus ratio à priori & tanquam causa propter quam, id non est de primo conceptu; sed sequitur potius primum conceptum atq; ex eo secundum nostrum concipiendi modum derivatur. Atqui aliquo, quod realiter idem est cum essentia datur conceptus prior in re, qui sit ejus ratio à priori, & tanquam causa propter quam, sicut patet de Quantitate, quæ est extensa i. e. habens partem extra partem & divisibilis. Divisibilitas nō distinguitur realiter à quantitate præciso n. omni eo, quod realiter à quantitate distinguitur, nihilominus quantitas est & manet divisibilis, & tamen divisibilitas non est de primo conceptu Quantitatis, quia secundum nostrum concipiendi modum prius est quantitatem esse extensam sive habere partem extra partem, quam quod sit divisibilis in partes estque illud hujus ratio à priori & causa virtualiter sic dicta *Cajetano 1. post. c. 2.* Si enim quæras, cur quantitas sit divisibilis, recte respondetur, quia habet partem extra partem, & satisficit huic quæstioni. Ex quibus apparet aliquid, quod secundum rem idem est cum essentia rei, non esse de primo ejus conceptu & essentia.

29. Estque

29. Estq; vel Physica vel Methaphysica, quam etiam Logicam dicunt.

30. Physica est, quæ datur per materiam & formam, quæ sunt partes Physicæ & à Physico considerantur, ut homo est substantia constans corpore organico, & anima rationali.

31. Metaphysica sive Logica est, quæ datur per genus & differentiam tanquam partes essentielles Logicas sive Metaphysicas, quæ per se à Metaphysico & Logico considerantur.

32. Hanc definitionem, quæ nihil aliud est, quam Compositio Metaphysica ex genere & differentia communiter ferè imperfectionem secum trahere opinantur, quod impugnamus hoc argumento: Nulla cognitio rei distincta importat imperfectionem in re quæ cognoscitur. Sed hæc definitio nihil aliud est, quam cognitio rei, sive objecti distincta. E. Maj. pr. Est enim omnis cognitio denominatio extrinseca respectu objecti sive rei, quæ cognita denominatur; At nulla denominatio extrinseca importat imperfectionem in re denominata, sicut e. g. paries denominatur visus vel cognitus ab actu videndi, qui est in oculo, aut actu intelligendi in intellectu existente, quibus paries neque perfectior, neq; imperfectior redditur. Min. pr. quando enim definitive cognosco speciem v. g. hominem, tres occurrunt cognitiones. 1. conceptus communis sive generici 2. differentia, per quam res ab alijs omnibus essentialiter distinguitur 3. totius speciei, quæ duos priores includit, dum enim essentia speciei distinctè & definitivè cognoscitur; necesse est genus & differentiam ejus acta cognosci; adeoq; cognitio illa nihil aliud est quam definitio, sive compositio speciei secundum rationem ex conceptu generis & differentia, id est, cognitio distincta constans cognitioni actuali generis & differentia. Vid Mendoz. disp. Log. 4. s. 3. n. 13 Disp. met. 6 s. 4. n. 71. & 72.

33. Nec est quod objicias: Definitionem & compositionem ex genere & differentia importare limitationem & potentialitatem quâda adeoq; imperfectionem cû gen9 sit in potetia ad differentiam à

B 2

quæ

quã perficitur, limitatur & restringitur tanquam materia à sua forma. Et illam potentialitatem & limitationem non esse ex parte ipsius objecti & rei, sed tantum ex parte intellectus, qui unam eandemq; rem concipit semel prout cum alijs essentialiter convenit, & prout vicissim essentialiter ab alijs omnibus distinguitur *Vasquez 1. disp. 22. c. 3.* Quia igitur genus & differentia à parte rei & citra mentis operationem sunt unum & idem simpliciter fatente cum alijs innumeris *Anton. Ruv. c. 4. de differ. q. 4. Johann. Sanchietz de genere q. 46. concl. 2.* quomodo quãso unum potest limitare, contrahere & perficere alterum, cum contrahens debeat esse extra id, quod contrahitur, nihil v. potest contrahere seipsum.

34. Multo minus te juvabit si cum Thomistis & alijs cõfugias ad pluralitatem realitatum sive formalitatum, ut loquuntur, quas importare volunt per genus & differentiam. Gratis n. hæc finguntur ab illis realitates sive formalitates quas statuunt inveniri in objecto & ex parte rei; non tamen realiter, sed ratione tantum distinctas: Cum enim distinctio rationis non sit ex parte objecti; sed intellectus, quomodo ex parte objecti possunt esse plures realitates ratione distinctæ? Ubi cunq; igitur non est pluralitas formalitatum sive realitatum, ibi non sunt plures realitates. Atqui ex parte objecti non sunt plures realitates; sed una eademque realitas diversimode tantum concepta E. ex parte objecti non reperiuntur plures formalitates & realitates. *Vid. Gregor. de Arimino 1. distinct. 8. q. 3. a. 1. Mendoz. disp. met. 6. s. 4. s. 1. & 2.*

35. Porro ratione rerum quæ definiuntur, definitio vel est substantiæ vel accidentis. Illam Aristoteles simpliciter vocat definitionem *7. met. c. 4.* eò, quod ex mente Philosophi Ens respectu substantiæ & accidentis est ex numero illorum, quæ dicuntur *ὅτι ἐν τῷ ἀφ' ἑαυτοῦ* (quæ malè à nonnullis habentur pro analogis) adeoq; per prius & principaliter convenit substantiæ & per posterius sive minus principaliter accidenti, hinc dixit, perspicuum esse definitionem & quidditatem, quæ primo & simpliciter dicuntur substantiarum esse, cætera autem esse quidem similiter sed non primò. Adde tamen genus quam differentiam substantiæ (completæ) intrinsicè & essentialiter includi in illius definitione, nullumq; terminum extrinsecum i. e. qui non includatur in primo

mo ejus conceptu in definitione illius poni; in definitionibus
verò accidentium ponitur aliquid extrinsecum i. e. quod non est
de primo ejus conceptu nempe substantia vel aliud quid, unde defi-
niri quoq; dicitur accidens per additamentum & ἐκ προσθετου
Arist. 7. met. c. 5. Ubi tamen distinctio quædam ponitur inter
accidentia simplicia sive quæ sibi non vendicant certum subje-
ctum, & conjuncta, quæ proprium habent subjectum.

35. Dixi; completa: In hoc n. substantiæ incompletæ i-
mitantur naturam accidentium, quæ definiuntur per aliquid ex-
trinsecum, quod non ingreditur primum eorum conceptum sicut
anima 2. *de anim.* definitur per subjectum corpus nempe organi-
cum, & materia definitur vicissim per formam *1. Phys. t. 82.*

36. In hoc quoq; distinguuntur substantiæ completæ &
accidens, quod in definitione substantiæ genus est instar materiæ,
differentia v. instar formæ, sicut n. materia secundum rem li-
mitatur & perficitur per formam tanquam actum realiter à ma-
teria distinctum; ita genus limitatur & contrahitur per differen-
tiam ab intellectu, & secundum nostrum concipiendi modum;
At in definitione accidentis genus rationem formæ, differentia
v. rationem materiæ obtinet, sicut tonitrus definitur, quod sit, so-
nus in nube, ubi sonus est genus & forma, omne n. accidens for-
ma quædam est, nubes v. est subjecta materia; quæ tanquam dif-
ferentia sumitur, separans tonitrum ab alijs sonis. Contra quam
in substantijs accidit, in quibus genus, ut diximus, locum habet
materiæ, differentia v. formæ & in substantijs materia interna est
ex qua res constat; in accidentibus verò externa; cui inhærent.
Zabarell. 4. de metho. c. 14.

37. Quæ tamen intelligenda sunt de definitione accidentis
in abstracto considerati. In his enim subjectum ponitur loco
differentiæ in casu obliquo, ut simitas est curvitas nasi; at in defi-
nitione accidentis in concreto subjectum ponitur loco generis in
casu recto, ut simum est nasus curvus, *juxta Aristotelem l. cit.*

38. Objicis: Ens per accidens non potest definiri. Atqui
concreta accidentium sunt Entia per accidens, sicut e. g. album
est aliquid compositum ex re, quæ dicitur alba & ipsa albedine,
tanquam formali E, concreta accidentium non possunt definiri.

32. Ens per accidens dicitur tale. 1. ratione causalitatis, quod scilicet habet causam per accidens, ut sunt fortuita & casualia 2. ratione Entitatis, quod scilicet constat ex aggregatione plurium Entium completorum, idq; dupliciter vel absq; ullo ordine & habitudine unius ad alterum; vel cum ordine aliquo inter se, ita ut unum in ordine ad alterum habeat rationem determinabilis aut determinantis; de priori genere Entis per accidens concedimus non posse definiri, cum non habeant prædicata necessaria, & per se; multo minus causam certam determinatam sed contingentem. De Ente vero per accidens posterioris generis negam⁹ majorem, ut hoc videre est ex scientijs subalternatis, quæ per se agunt de ejusmodi Ente per accidens, illud cognoscendo & definiendo; imò necessaria conditio est scientiarum subalternatarum ut restringatur subjectum subalternantis per differentiam aliquam, quæ ad illud se habeat per accidens; idem apparet in numero, qui est objectum Arithmeticae, & definitur *10. met. c. 2.* quod sit multitudo ex unitatibus collecta, Republica; *pol. c. 4.* quod sit ordo eorum qui civitatem inhabitant. Nec non in notionibus secundis, quæ definiuntur in Logicis, cum tamen quid concretum sint ex materiali & formali; plura exempla lubens mitto.

40. Triplex v. à Zabarell. l. cit. affertur Accidentis definitio, Essentialis, Causalis & Perfecta.

41. Illam vocat, quæ constat genere & differentia à subjecto petita e. g. Tonitru est sonus in nube, quam vocat conclusionem demonstrationis, cum n. extra se causam habeat demonstrari potest. Aristoteli Nominalis dicitur, ut eam contradistingat ei, quæ non tantam essentiam rei, sed etiam causam propter quam exprimit. Quicquid v. causam habet propter quam non perfecte cognoscitur nisi beneficio illius *Arist. l. cit.*

42. Licet v. subjectum non sit de essentia accidentis, non tamen impedit, quo minus definitio accidentis per subjectum essentialis dicitur. Aliud siquidem est ipsum subjectum, aliud respectus essentialis, quem dicit accidens ad subjectum, quo sine cum natura accidentis non possit explicari, necessaria facienda est mentio illius subjecti in definitione accidentis. Unde etiam recte ab Aristotele accidens dicitur definiri per additamentum. *l. sup. cit.*

42. In-

42. Inquis! Hæc contradicere *th. 11.* ubi diximus relatum non posse defini per suum correlatum propter respectum quem dicit relatum ad correlatum. R. 1. Distinguendum est inter Relata prædicamentalia & Transcendentalia, quando diximus *th. 11.* unum relatorum non esse definiendum per alterum, cum simul sint natura, hoc, teste *Suarez disp. met. 26. s. 2.* intelligendum est de relatis prædicamentalibus; non v. transcendentalibus, quippe quorum naturæ non repugnat unum esse prius altero natura, sicut hoc testatur causa & effectus, quæ dicunt essentialem & transcendentalem respectum adinvicem, cum nihilominus causa sit prior natura effectui. Est n. illud prius natura à quo aliquid dependet ita ut illud non vicissim pendeat ab ipso *s. met. c. 11.* Cum igitur effectus dependeat à causa, accidens à subjecto, causa v. ex sua natura non dependeat ab effectui, nec subjectum ab accidente. Causa & substantia merito dicuntur priora natura, adeoq; optimè accidens poterit defini per subjectum, tanquam per aliquod extrinsecum ad quod essentialem respectum importat, tanquam prius aliquid accidente *Aristoteles in Categor. & Mendozæ Disp. Phys. 8. s. 7.* R. 2 Correlatum potest considerari dupliciter 1. materialiter, scilicet in ratione termini. 2. formaliter & reduplicative quatenus est correlatum & ut formaliter refertur ad suum relatum. Relatum posse defini per suum correlatum priori modo, concedimus vi argumenti *thesi 14. allati.* Quando igitur supra diximus relatum non defini per suum correlatum, hoc intellectum volumus de correlato, formaliter & reduplicative sumpto; interim non negamus relatum posse defini per correlatum, tanquam aliquid absolutum, & sic intercedit diversus respectus, qui omnem tollit contradictionem.

43. Magna vero accidentium est differentia. Licet enim omnia includant aliquem respectum ad subjectum, sive implicite sive explicite, non pauca tamen reperias quæ objectum quoque aut finem & terminum respiciunt, ut sicut habitus & potentia nec non relata quæ respiciunt aliud ut pure terminum. In definitionibus igitur potentiarum & habituum differentia desumitur ab objectis vel fine, sicut Medicina definitur, quod sit ars
princi-

principalis sanitatem in corpore humano præsentem conservandi & amissam restituendi. Physica est scientia corporis naturalis quatenus talis.

44. Definitio causalis juxta Zabarell. l. cit. est quæ constat, genere & differentia à causa proxima petita & vocatur principium demonstrationis, cum sit medium demonstrationis e. g. Eclipsis lunæ est interpositio terræ inter solem & lunam, quæ definitiones frequentissimæ sunt in Medicina, juxta autorem defini. Medic. Sicut paralysis est carentia influxus spirituum animalium. Et dicitur improprie definitio, cum potius dicat propter quid, quam quid res sit. Piccolomineus hanc tantum causalem vocat, quæ causas omnes cum internas tum externas complectitur.

45. Definitio perfecta est quæ constat genere & differentia tum à subjecto, tum à causa petita, & complectitur definitionem essentialem & causalem, sicut Eclipsis lunæ est luminis in luna ex interpositione terræ inter solem & lunam & tonitru est sonus in nube propter extinctionem ignis. Hanc Zabarell. dicit esse integram demonstrationem sola terminorum positione ab ea differentem, ex Aristoteles 2.2. post. l. cit. Hæc de Definitione.

46. Descriptio est oratio naturam rei non exprimens; sed primis quasi lineamentis adumbrans & conversum de re prædicatur. Arist. 2.2. post. c. 10. dicitur oratio una per conjunctionem ut illas universa. Licet v. in descriptione non raro ponatur genus proprie sic dictum, cui postea adjungitur loco differentie accidens proprium vel complexus quidam plurium accidentium communium, hoc ipso tamen essentialiam rei non exprimit; illa n. definitio hic dicitur exprimere essentialiam rei, quæ eandem declarat, non tantum per conceptum convenientiæ, & quatenus cum aliis essentialiter convenit; Verum etiam secundum conceptum differentie, quod in descriptione non fit. in illa n. loco differentie ponuntur accidentia, quæ essentialiam rei non declarant, & hæc referuntur descriptiones Poëtarum & oratorum.

CErnis, ut Agricola repleant nunc horrea granis ;
Mandarant Sulcis grana labore suis.
Excolis ingenij Sudore fideliter agrum ;
Grana ferax magno fenore reddet ager.

Stephanus Clotz D. Serenif. Dan.
R. M. per Duc. Schlesy, Hols. Su-
perint. Gener.

F I N I S,

42. Inquis! Hæc contradicere th. e non posse defini per suum correlatum p dicit relatum ad correlatum. R. 1. Disting sa prædicamentalia & Transcendentalia, unum relatorum non esse definiendum p sint natura, hoc, teste Suarez disp. met. 26. de relatis prædicamentalibus; non v. tran quorum naturæ non repugnat unum esse p hot testatur causa & effectus, quæ dicunt e dentalem respectum adinvicem, cum nih natura effectus. Est n. illud prius natura det ita ut illud non vicissim pendeat ab ip tur effectus pendeat à causa, accidens à sua natura non pendeat ab effectus, nec te. Causa & substantia merito dicuntur optimè accidens poterit defini per subje quod extrinsecum ad quod essentiali res quam prius aliquid accidente Aristoteles in Disp. Phys. 8. §. 7. R. 2 Correlatum potest r materialiter, scilicet in ratione termini. 2 catirè quatenus est correlatum & ut forma relatum. Relatum posse defini per suum do, concedimus vi argumenti thesi 14. allat pra diximus relatum non defini per suum lectum volumus de correlato, formaliter & interim non negamus relatum posse defini quam aliquid absolutum, & sic intercedit omnem tollit contradictionem.

43. Magha vero accidentium est dif omnia includant aliquem respectum ad subj five explicite, non pauca tamen reperias que aut finem & terminum respiciunt, potentia nec non relata quæ respiciunt aliu In definitionibus igitur potentiarum & ha sumitur ab objectis vel fine, sicut Medicin

relatum
m quem
ter Rela-
us th. II.
m simut
adum est
quippe
ura, sicut
transcen-
sit prior
depen-
Cum igitur
sa v. ex
acciden-
adeoq;
n per alit-
tat, tan-
Mendoza
upliciter
redupli-
d suum
iori mo-
gitur su-
oc intel-
sumpto;
m, tan-
tus, qui

enim o-
mplicitè
m quo-
bitus &
minum.
ntia de-
d sit ars
priaci-



the scale towards document